Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 795
Quelle:
Copyright:

Quattuor Evangeliſtæ ſignifica Matthæus facientur, hominis: Lucas vituli: Marcus leonis: Joannes aquilæ.

Quatuor euangeliſtę quid ſignificant? Mattheus faciem hominis, qui dixit: Liber generationis ihesu chriſti. Marcus faciem leonis rugientis, qui dixit: Uox clamantis in deſerto. Lucas faciem vituli, qui dixit parabolam de uitulo ſaginato. Johannes aquilę, qui dixit: Nemo aſcendit in cęlum, niſi qui deſcendit de cęlo.

Leo ſurgendo.

Leo reſurgendo.

Lege in legem, vetus in novum.

Lex in lege, uetus in noua.

Cur quattuor Evangeliſtæ non per. Nati ſunt. Matthæus mel.

Cur quatuor euangelia non per. Nati ſunt. Matthęus arat. Marcus ſeminat. Lucas irrigat. Johannes incrementum dat. Matthaeus mel.

Ex his colligent Lectores, quanta errorum ſilva in Opere ipſo caedenda ſuperſit.

Praetenſa eſt antice Codici Membrana Fragmentum continens Expoſitionis in C. XIX. *Evangelii Johannis* Seculo IX. eleganter exaratae, quae eſt *Auguſtini Tract.* CXVI—XVII. prout extat Edit. *Maur.* T. III. P. 2. Poſtice vero comparent Fragmina *Hymnorum* eccl. partim etiam ſuperimpoſitis accentibus muſicis paullo recentiora.

CCCLX.

U. 273 Codex membraneus lat. Sec. XIV. et XIII. Folior. 123. f. bene perſcriptus, rubricis diſtinctus, et quondam *J. Alex. Braſſicani*, ut manus ejus non uno loco prodit, a quo ad *Joh. Fabrum* Ep. noſtrum cum aliis devenit, complectitur I. ut ex *ult. pag.* adcerſo, *Caſſianum de inſtitutione ſanctorum patrum*, id eſt, *Johannis* hujus, qui non ante an. 432. vivis exemtus eſt, *Libros XII. de Inſtitutis Renuntiantium*, ſeu *Coenobiorum Aegypti*, quae ipſe paene per decennium luſtravit. Epiſtola in Edit. *Opp. Joh. Caſſiani* ab *Alardo Gazaeo* curata, et inde ab anno 1615. ſaepius recuſa, cujus mihi Exemplum titulum *Lipſiae apud Wetſtenios & Smith* 1733. f. ementitum objacet, *Caſtoris Aptenſis* Ep. ad ipſum *Caſſianum* praefixa abeſt a Codice, qui ſtatim ab Autoris *Praef.* orditur: *Uetus narrat hyſtoria ſapientiſſimum ſalomonem poſt acceptam diuinitus ſapientiam* &c. ubi Edita: *Veteris inſtrumenti narrat hiſtoria* &c. Quemvis Librum praecedunt *Capitum* Summaria eadem paene, qua in Editis, phraſi; *Capita* vero

ipſa